

CANONES APPROBATI IN II SESSIONE

Canon

§ 1. *Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ita ut ad Dei honorem et servitium atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur.*

§ 2. *Status igitur religiosus, qui praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab ipsa enixe commendatur et fovetur.*

Canon

Vota religiosa sunt vota publica in quacumque religione emissa, sive perpetue sive non, quorum effectus iure communi atque constitutionibus unicuique Instituto propriis determinantur.

Canon

Institutum religiosum est societas a legitima auctoritate ecclesiastica erecta, quaeque personalitate canonica donatur, et cuius sodales statum religiosum ad normam canonis 1 (canonis nempe descriptivi huius status) amplectuntur.

1° *Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionum, specialem persequitur imprimis finem, qui exercitium munerum clericalium secumfert quodque uti tale in erectionis decreto agnoscitur, et cuius igitur sodalium magna pars clerici sint oportet; secus non-clericale dicitur.*

2° *Institutum religiosum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; dicitur iuris dioecesiani quod ab Episcopo dioecesano quidem erectum huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.*

Canon

Nomine religiosorum veniunt etiam religiosas, nisi ex contextu sermonis aut ex natura rei aliud constet. Moniales dicuntur religiosas, quae vota religiosa emiserunt ad normam regulae et vitam imprimis contemplativam ducunt; caeterae appellantur sorores.

Canon

Domus religiosa est domus alicuius Instituti religiosi, qua talis legitime erecta; formata dicitur in qua degunt quinque saltem religiosi votorum perpetuorum.

Canon

Provincia religiosa est pars Instituti, personalitate canonica gaudens, pluribus constans domibus religiosis inter se coniunctis, sub eodem Superiore.

Romae, die 10 maii 1967

RAIMUNDUS BIDAGOR, *Secretarius Commissionis*
pro hac vice Relator

I. HERRANZ, *Actuarius*